

## DISSERTATIO LVIII.

DE TELEMACHO SONTES PVELLAS IN REGIIS  
AEDIBVS SVSPENDENTE.

## SYNOPSIS.

*Ex opinione magis quam veritate plerique iudicant. Iuris exsecutio in plebendis reis iam turpis habetur. Qui iudicium in reos fert veluti mens est, qui illud exsequitur veluti manus. Salutaris rei-publicae est reorum ultio atque interemptio. Variarum populorum opiniones de publicis reorum punitoribus, deque aliis multis. Non indignum facinus Telemacho committit Homerus, dum fontes puellas suspendio necantem facit. Multa exempla consimilia ex sacris paginis adferuntur. Alia itidem ex fabulis et ex profana historia. Quibus de causis opinio haec apud nos valeat, turpes esse illos, qui reos plebunt. Hunc Homeri locum imitatus est Ariostus.*

**E**x veritate pauca, ex opinione multa prae aestimare plerosque homines, dolebat Seneca, cumque eo alibi quoque nos saepe doluimus, iterumque dolemus. Cum enim Homerum nostris hisce sermonibus iamdiu explicandum atque illustrandum suscepimus; si multa in eo ex praekoncepta opinione non iudicaret vulgus legentium, defensione nostra nequaquam indigeret, ubi siue absurda, siue indecora suis carminibus admiscuisse temere Homerus creditur. Sed quandoquidem ita res habet, et error hic multos tenet, quod coepimus, opus absolueimus, cumque plura iam falso suspecta excusserimus, illud etiam, quod praecedenti disputatione innuimus, maxime dissonum moribus nostris excutiemus hodie.

Vlysses rex, peracta procorum caede, filio suo Telemacho, principi iuveni, regni heredi, aliisque familiari- bus regiis interneccionem exsequendam committit duodecim aulae regiae puellarum, quae se ipsas vitandas absente rege procis permisserant. Iam vero complures vestrum statim obstrepentes mihi videor audire, spectatissimi iuvenes, utpote qui rem tam absurdam atque indecoram auer-  
femini;